



20

I. N. J.
**DELINEATIO
FIDEI VIVAE**

QVAM

IN SYNODO DIE 2. AUG. ANNI CURRENTIS M. DC. XCIX,
BONO CUM DEO CELEBRANDA

PL. REV. MINISTERII MOLHUSINI SYMMYSTIS,

**IN FACIE DEI
ET PATRONORUM OCULIS**

JUXTA SCRIPTURÆ S. FILUM
DUCTUMQUE SPIRITUS SANCTI

SECUNDUM SERIEM QVÆSTIONUM SORTE
DISTRIBUTARUM ENUCLEANDAM.

PROPOSUIT

D. JOH. ADOLPHUS FROHNIUS;
PAST. PRIM. SUPERINT. CONSIST. ASS. ET
SCHOLAR. INSP.

MOLHUSÆ,

Typis Tobiaë Davidis Brückneri,

615

May 18



AUSPICE CHRISTO.

SPIRITUS SANCTUS IN RECTA FIDE ME SANCTIFICAVIT.

Confessio hæc est b. D. LUTHERI, in Articuli tertii Explicatione obvia. Vox quoque hæc est cujuslibet Christiani, veritate Evangelica imbuti, quam quotidie iteratis vicibus edere eaque Spiritus S. gratiosam operationem & *Fidei Vivæ efficaciam* laudibus extollere consuevit. Tres autem sunt maximi momenti & ponderis veritates, quas Megalander noster verbis hisce nervose, succincte & compendiose enunciavit.

1. *Spiritus S. accendit fidem in cordibus, ut sanctificet ea.*
2. *Medium, quo Spiritus S. corda sanctificat, est Fides.*
3. *Fides, per quam corda sanctificantur, sit recta & viva.*

Vivæ Fidei naturam & essentiam haud paulo dilucidiores fore arbitrans, si aliquanto diligentius, veluti a exactiori quadam anatomia, Confessio hæc Lutherana peruestigetur, tres hæc Veritates fusius excutiam. *Primo Confessionis Membro* ostenditur, quod Spiritus S. sit causa efficiens *Principalis Fidei*. Fidei scilicet certæ, immotæ atque supernaturalis. Fides vero humana, quæ cum formidine oppositi conjuncta est, etiam ex solis produci potest naturæ viribus. *Quidam*, inquit Seraphicus Doctor Bonaventura, L. 3. Sent. Dist. 23. qu. 2. *assentiunt veritati auditæ moti humanæ persuasioni, utpote propter amorem & reverentiam dicentis, vel propter mirabilia, vel propter rationes & argumenta.* Rectè hæc arbitror dicta. Certum enim est, multos assentiri iis, quæ in Scriptura sunt revelata, inductos persuasionibus mere humanis, scilicet vel autoritate Ecclesiæ, vel testimoniis Parentum aut Præceptorum, de Scripturæ S. veritate testantium, vel ex miraculorum, quibus Doctrina sacra confirmata est, consideratione, quæ impii quoque & in peccatis mortalibus hærentes sæpius moventur, ut assensum præbeant Dogmatibus Apostolorum, naturali ratione ipsis suadente, Deum hominibus falsa docentibus non assistere, ita ut eorum dogmata falsa miraculis corroboret & obsignet. Imò plerumque contingit, ut ex motivis externis homines prius ad aliqualem inducantur assensum, & postea demum Verbi efficacia se in iis exerat fidem, veram & immotam accendendo. Sicut Samaritani Joh. 4, 39. initio mulieris, cui Christus omnia, quæ fecerat, revelaverat, sermone, postea vero ipsius Verbi a Christo prædicati efficacia movebantur ad Christum pro vero Messia agnoscendum. Ita enim

enim alloquuntur mulierem v. 24. *Jam non propter tuam orationem credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quod hic vere est Servator mundi Christus.* A majoribus rebus, inquit Cyrillus Alex. L. 2. in Joh. c. 112. *Samaritanorum fides crescit. Non enim aliorum verbis, sed ipsius Christi doctrina persuasi Christum admirantur & Salvatorem mundi agnoscunt. Itaque, cum in eo spem salutis habere profiteantur, precipuum fidei suae testimonium & pignus afferunt.*

Fidem vero salutarem, quæ est supernaturalis, certa & immota, non esse humanarum virium opus, sed a Spiritu S. supernaturaliter generari ex sacris literis oppidò manifestum est. Quæ ratione enim homo salutariter credere posset, nisi Spiritus S. accenderet in ejus mente notitiam efficacem voluntatis Divinæ, in Evangelio patefactæ, & moveret intellectum ad assentiendum, & voluntatem excitaret, renovaret, adjuvaret, ut in misericordia & favore Dei per & propter Christum nobis reconciliati firmiter acquiescat? Notissima sunt hac de re Scripturæ sacræ testimonia

1. Christus ipse Joh. 6, 65. dixit Discipulis: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo.* De quo ita Augustinus: *Ut Servator doceret, ipsum quoque credere doni esse & non meriti, ideo inquit, nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum, & cui datum fuerit a Patre meo. Mirum est, quod duo audiunt, unus contemnit, alter assentit; Qui contemnit, imputet sibi, qui assentit, non arroget sibi.*

2. Idem Salvator Joh. 14, 26. inquit: *Paracletus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Cujus verba Cyrillus Alex. L. 10. in Joh. c. 6. p. m. 639. ita explicat: *Exquisitam revelationem mysterii per Spiritum S. nobis futuram affirmat. Revelatione enim, quæ per Spiritum in nobis ineffabiliter fit, incarnationis profunditatem & abditi virtutem mysterii speculamur. Cum igitur Spiritus doctrinæ (Christus) Sanctos committat, non alii eos tradit Doctori, quam sibi ipsi, quum in Spiritu suo animi oculus esse perspiciatur.*

3. Act. 16, 14, 15. Dominus cor Lydiæ dicitur aperuisse, ut attenderet ad ea quæ dicebantur a Paulo, & crederet in Dominum.

4. Paulus Rom. 15, 13. precatur Romanis, ut Deus spei repleat eos omni gaudio & pace in credendo, ut abundant in spe virtute Spiritus S. Pingue & prægnans, dicente b. Mylio h. l. p. m. 412. hoc est votum partim affectus devoti, partim causarum indicium. Fidem enim & per fidem spei abundantiam optat

Roma

Romanis. Deinde Deum spei & Spiritum S. fidem & spem in piorum animis efficere docet. Et quia spes est animi credentis læta & pacata de futura felicitate expectatio, lætitiæ & pacis consimilem plenitudinem exoptat.

5. Idem Apostolus 1. Cor. 12. 9. expressis verbis asserit: *Alteri fides datur per eundem Spiritum.*

6. Et 2. Cor. 4, 13. inquit: *Habemus Spiritum fidei, qui nempe fidem accendit.*

7. Gal. 5, 22. *Fides quoque inter fructus Spiritus S. refertur. E. ab eo dependet.*

8. Cyrillus Alex. probaturus L. 10. in Joh. c. 6. *perfectam, quantum capere possumus, cognitionem per Spiritum Sanctis immitti, citat votum Paulinum Eph. 1, 17, 18, 19. Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloria det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos credentes secundum operationem potentia virtutis ejus.*

9. Eph. 2, 8. *Gratia estis servati per fidem, & hoc non ex vobis Dei donum est. Ad quem locum ita Theophyl. Comm. ad Eph. p. m. 497. Ostendit quod neque fides ex nobis sit: Nisi enim venisset, & nisi vocasset, non obedissemus. Proinde & Ipsa fides donum Dei est.*

10. Phil. 1, 29. *Gratulatur Gentium Doctor Philippensibus, quod ipsis donatum sit pro Christo (i. e. pro ejus gloria) non solum in eum credere, sed & pro illo pati. Et simul docet, Et credere in Christum, & pro eo pati esse dona Dei, annotante b. D. Chr. Chemnitio Com. h. l. p. 129.*

Ex immotis his Scripturæ Sacræ fundamentis merito orthodoxi detestantur dogma Pelagianorum, statuentium externam prædicationem verbi & vim liberi arbitrii sufficere ad fidem veram & salutarem efficiendam, docentque sine Spiritus S. operatione vivam fidem produci nullo modo posse.

Quia autem Spiritus S. duplici modo operari potest, partim ut causa immediata, quando sine interventu ullius causæ instrumentalis effectum salutarem in homine procreat, partim ut causa mediata, quando per certa media & organa aliquid boni in corde humano producit, ideo non sine causa hic loci quaeritur: *Quomodo Spiritus S. fidem in cordibus accendat? An sine mediis? an per certa media?* Non loquor hic de eo, quid possit spiritus S. Extra dubitationem enim positum est, Spiritum S. fidem absque mediis externis in cor-
di

1007

dibus extraordinarie gignere posse, si velit. Mihi sermo est impræsentia-
rum de modo ordinario, quo Spiritus S. fidem juxta Dei beneplacitum homini-
bus confert, quem mediatum & per certa media efficacem esse sacri Codex af-
fatim testatur. *Media hæc sunt Baptismus & Verbum.* Christianorum
enim infantes per baptismum regenerari, & consequenter per sacramentum
hoc eosdem fide in Christum donari docet Paulus Tit. 3, 5. In adultis autem
Spiritus S. fidem per verbum, sive lectum, sive prædicatum, suscitare &
accendere Divinus Canon quam plurimis, iisque luculentissimis testimoniis
confirmat. Unicum jam audiemus Gentium Apostolum, qui

(1) Rom. 10, 14, 17. rationem & modum conferenda fidei traditurus, ita
quærit: *Quomodo credent, quod non audiverunt? Fides est ex auditu, audi-
tus vero per verbum Dei.* Sensus dicti redit huc: Fieri non potest ut cre-
dant id, aut in eum, de quo non audiverunt. Fides enim ita ex auditu est, ut
ordinarie citra auditum nemini obtingat. Sub auditu autem comprehen-
ditur etiam lectio, quæ fit mediante visu, non sine auditu interno. Sicut enim
per auditum plurimi, ita per lectionem multi crediderunt. *Auditus* autem
dum per verbum Dei fieri dicitur, eo ostenditur quod vis accendendi fidem
tribuatur *auditui, non ut est auditus & actus anime humanae, sed ut est audi-
tus verbi prædicati, cui ut organo Spiritus S. convenit efficere fidem.* Quando
enim Verbum Dei prædicatur, & vox prædicantis ferit aures, penetrat illud
per auditum ad interiora cordis, & pro eâ, quâ pollet, vi & efficacia, concurren-
te Spiritus S. operatione, efficit fidem in iis, qui interius obicem non ponunt.
Vide, b. Job. *Musei Diss. de Fide* §. 26. Ex quo evidens est Spiritum S. or-
dinarie non nisi per auditum verbi homines convertere, sicut etiam certum
est auditum aut prædicationem verbi sine Spiritus S. operatione frustra esse,
nihil enim absque Spiritu S. valet lingua docentis; quod porro ita ostendo.
(2) Apostolus 1. Thess. 1, 5. narrat *Evangelium suum fuisse erga Thessalo-
nicenses non in sermone solo, sed etiam in virtute & Spiritu S.* Quo dicto do-
cupetur, *partim significative, partim effective.* (1) *Significative*, quatenus
est sermo qui verbis, & vocibus ex usu notis res Divinas intellectui proponit,
eumque in rerum Divinarum notitiam deducit, & simul earum bonitatem
voluntati exhibet. Quæ ratione Evangelium se habet ut alius quidam sermo,
qui verbis suis intellectui res credendas repræsentat. 2. *Effective*, quate-
nus

nus Evangelium est efficax organon seu instrumentum, ad fidem in intellectu, sanctosque motus in voluntate accendendos aptum & idoneum. Quia enim res fidei intellectui sunt inevidentes, ideo verba Evangelii intellectum ex se & ratione rerum, de quibus loquuntur, ad assensum determinare nequeunt. Et quia Voluntas in rebus spiritualibus ex se est mortua, & nullas habet vires bona spiritualia desiderandi & amplectendi, ideo necesse est, ut Evangelium non solum significatione rerum credendarum & amandarum, sed præterea modo longe efficaciori, ut instrumentum scilicet a Spiritu S. elevatum ad fidei assensum in intellectu, nec non ad desiderium & amorem rerum spiritualium in voluntate efficiendum concurrat. Qui concursus hic à Paulo vocatur *Virtus & Spiritus S.* Idque ideo qui *Evangelium est instrumentum efficax*, cui sublimior vis & potentia operandi inest, quam quæ alias verbo & sermoni nudo convenit, dum nempe a Spiritu S. elevatur, & vim accipit supernaturales producendi effectus, fidem scilicet & charitatem, quos sermo nudus producere nequit. Per hanc supernaturalem vim organicam, quam Spiritus S. Verbo lecto aut prædicato largitur, perque suam omnipotentem cooperationem eum Verbo Spiritus S. Verbum efficit, constituit & ordinat efficax conversionis instrumentum. Quare de causa Paulus *Evangelium suum dicit non fuisse in nudo aut solo sermone, sed etiam in virtute & Spiritu S.* Sicut idem Doctor Rom. 1, 16. eadem de causa Evangelium vocat *potentiam Dei ad salutem omnium credenti.* Quia scilicet Evangelium est, instrumentum potens & efficax in cordibus hominum convertendis & fide vera imbuendis.

(3) De Thessalonicensibus multa cum gratiarum actione gloriatur Paulus, quod *verbum a se prædicatum receperint non ut sermonem humanum, sed ut sermonem Dei, [sicut vere erat] qui etiam, scilicet Deus ipse, operatus fuerit in ipsis credentibus 1. Thess. 2, 13.* Et hoc effato probat Spiritum S. non immediate, sive non absque verbo accendere fidem, nec solum verbum prædicatum ad fidem generandam esse sufficiens, sed spiritum S. per Verbum prædicatum, ut sermonem Dei, operari in hominibus ad fidem ducendis. Tam potenter enim verbum in cordibus malitiose non reluctantis se exerit, ut Divina Virtute & potentia illud pollere conversi in semetipsis experiantur. Impium ergo est, dicente b. D. Bald. *Comm. b. l. p. m. 1137.* Verbum in Ecclesia prædicatum vocare sonum evanescentem in aëre & nihil operantem, nam

nam quia ipsius Dei Verbum est, Divinam quoque habet efficaciam. *Dei enim sermo* Heb. 4, 12. vocatur *vivus & efficax & penetrantior quovis gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus* (i. e. ut inordinati animæ motus nobis incipiant displicere, & Spiritui S. ejusque moribus piis obsequamur) nec non *ad divisionem compagum & medullarum* (i. e. duritie cordis & imbecillitate mentis seposita, simus ad virtutes flexiles, & ad opera vocationis & Christianismi peragenda fortes, robusti & constantes, sicut animalia, quorum in ossibus est medulla integra, sæpe admirando ad laborandum pollent robore.) Hinc est quod ex auditu verbi motus excitantur novi in corde, ex peccatoribus fiunt justi, ex incredulis credentes: Accenditur odium peccati, amor virtutis, desiderium vitæ æternæ. Et qui hujusmodi motus in corde non sentit, nondum cum fructu verbum audivit. *ibid.*

(4) Quando Paulus 1. Cor. 2, 4. scribit: *Sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasoriis humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus ac potentia, ut fides vestra non esset in sapientia hominum, sed in potentia Dei*, quid aliud ostendit, quam quod prædicationi suæ adfuerit Divina quadam vis & potentia, quâ, mediante Verbo a se prædicato, fides salvifica in cordibus Corinthiorum fuerit producta? Ita ut fides ipsorum non fluxerit ex sapientia mere humana, sed ex potentia Dei.

[5] *Regnum Dei non in sermone est, sed in virtute*, inquit Paulus 1. Cor. 4, 20. Regnum Dei hic intelligitur internum, quod in fidelibus est, quodque est justitia fidei, cum charitate conjuncta, & pax cum Deo, & gaudium Spiritus Sancti Rom. 14, 17. Regni hujus productio & erectio in cordibus non dependet ex solo sermone, & inani verborum splendore, sed fluit ex virtute Divina Spiritus S. qui verbo a se elevato tribuit & largitur vim fidei, charitatis, spei, justitiæ & pacis effectricem, & per eam ipse operatur, hominesque convertit.

(6) Idem Gentium Doctor cum 1. Cor. 3, 6. eleganti usus allegoria, *se dicit plantasse & Apollo rigisse, Deum autem incrementum dedisse*, ad oculum demonstrat, quod Spiritus S. fidem per verbum efficiat, quodque Spiritus S. Verbo impertiat interiorem Virtutem & efficaciam, qua homines possint vel renasci & converti, vel post conversionem fidei augmenta capere. Sicut enim Deus, ut autor naturæ, mediante semine, cui vim crescendi & se multiplicandi internam dedit, fructus naturales producit, ita etiam Spiritus S. ut autor gratiæ, mediante Verbo, cui vim conversivam & multiplicativam ipse indidit, & per quod ordinarie agit, fidem cum ipsius fructibus in

cor-

cordibus hominum gratiose generat. Dum enim ex Verbo attente vel audito vel lecto per concursum Spiritus S. specialem homines salutis cupidi in actibus cogitationum sanctarum & piorum desideriorum, & in sanctis motibus salutaris assensus & fiducia se aliquoties & aliquandiu exercent, ex his acquiritur, & remanet habitus verae fidei, quo homines postea sunt apti & prompti ad similes actus fidei sine molestia eliciendos. Ubi hic cernitur in homine effectus, ibi semen Dei dicitur manere 1. Joh. 3, 9. Verbumque eidem dicitur implantatum, quo ipsius anima salvari potest Jac. 1, 21. quia se. in ipso radices agit, & fructus fert Deo placentes.

Ex dictis patet Spiritum S. in adultis per verbum attenta meditatione cordi immissum via ordinaria accendere & conservare fidem, ita ut corda verbum retinentia & Spiritui S. morem gerentia vere & sincere sanctificentur. Hac de primo b. Lutheri asserto, alterum hoc est;

2. Fides est medium quo Christiani sanctificantur. Idque duplici ratione, partim apprehensive, partim effective,

(a) Apprehensive fides viva sanctificat hominem fidelem, quia is per fidem meritum Christi apprehendit, illudque sibi applicat, ut in oculis Domini justitia Mediatoris oruatus justus reputetur & sanctus. Qui sanctificationis modus explicatur 1. Cor. 1, 30. *Christus Jesus nobis factus est justitia & sanctitas.* Et Phil. 3, 8, 9. *Omnia pro damnis duxi, habeoque pro rejectaneis, ut Christum lucrificiam & reperiar in illo, non habens (i. e. non offerens Deo [meam justitiam, quae est ex lege, sed justitiam, quae est ex fide in Christum, quae ex Deo est, justitiam in fide.* Hac enim est efficax illa vis fidei, per Spiritus Sancti operationem excitata, qua certa fiducia Christum cum omnibus beneficiis apprehendimus, nobisque applicamus, & qua Christo unimur firmiter tanquam membra capiti, & palmites viti, ipsoque & ejus justitia plene fruimur ad Dei irati placationem, peccatorum expiationem, poenarum abolitionem & caelestis hereditatis restitutionem. Et haec est efficacissima illa, coram Deo consistens, hominem Deo reconcilians, & omnes Diaboli insultus repellens justitia & sanctitas imputata, qua gaudent, qui sunt in Christo Jesu, quique omnis condemnationis sunt expertes Rom. 8, 1. De sanctitate hac, quae apprehensive & imputative nostra fit, solide & perspicue differit b. Lutherus Cat. Maj. art. 3. p. m. 496. *Neque ego, neque tu quicquam de Christo scire possemus, aut in eum credere, aut pro Domino consequi,*

nisi per Evangelii predicationem Spiritus S. opera nobis offerretur, & ultro donaretur. Opus quidem ipsum completum est. Christus enim thesaurum nobis impetravit & peperit sua passione morte & resurrectione. Verum si in occulto manens delitesceret, nec quisquam aliquid de eo exploratum haberet, nemini esset usui, sed plane inutilis & deperditus. Ne ergo ejusmodi thesaurus sepultus jaceat, sed eo in usum verso fruantur homines: Deus verbum suum emisit predicandum & divulgandum omnibus, in quo Spiritum S. largitus est, ut ejusmodi thesauri nos faceret compotes. Quare sanctificare nihil aliud est, quam ad Christum adducere, ad suscipiendam bona per Christum nobis parata, ad qua per nosmet ipsos nunquam pervenire possemus. Suscipimus autem bona per Christum parata fide viva, quam Spiritus S. in nobis accendit. Fides illa est oculata, aperta credendorum ^{notitia} gaudens. Scio, cui credidi, inquit Apostolus 2. Tim, 1, 12. Et nos per fidem scimus, cui credamus. Agnoscimus in Christo triplicem plenitudinem. (1) Plenitudinem Deitatis Col. 2, 9. & ex inde certi reddimur de consummatissima per ipsum parata redemptione. (2) Plenitudinem meriti & justitiae Col. 1, 19. Qua nos partim Patri suo placavit, partim, ut ipsius oculis placeamus, ornat. (3) Plenitudinem Spiritus Es. 11, 2. Psalm. 45, 8. ex qua ad nos quoque rivuli donorum Spiritus S. derivantur & promanant Joh. 1, 16. Agnoscimus quoque in Christo paratissimam animi propensionem, qua nos ex plenitudine sua spiritualium donorum participes reddere impense gestit. De hac nobis benefaciendi promptitudine testatur [1] humanissima ejus invitatio Es. 55, 1. (2) Severissima ejus preceptio, qua nobis reditum ad se serio injungit Es. 45, 22. 1. Joh. 3, 23. (3) Patiens expectatio Es. 30, 18. (4) Terroris plena comminatio Matt. 23, 37, 38. (5) Suavissima ejus promissio Matth. 11, 28. (6) Efficacissima Spiritus S. motio & testificatio 1. Joh. 5, 6. O Sanctum lenocinium! O saluberrimum aucupium! Christus ipse cordium nostrorum motus & affectus excitat, auresque & mentes ad se trahit, ut sancto erga ipsum ardore, amore & desiderio incalescamus: Utque firmiter persuasi simus Christum esse paratissimum ad gratiam suam vere poenitentibus singulis impertiendam & largissime donandam. Illabamur ergo extensis Redemptoris nostri ulnis, ipsumque osculemur partim ut unicum Mundi Sacerdotem summum, & ejus cruentum sacrificium pro nobis in ara crucis immolatum pleno assensu nobis applicemus, partim ut Regem nostrum gratiosum, ejusque jussa capessere simus promptissimi, obedientissimi.

Delectemur non solum Christi promissionibus, sed etiam salutaribus ejus præceptionibus. Subjiciamur æque Christi benignæ jurisdictioni & gubernationi, quam ejus gratiosæ benedictioni. Sedeamus non tantum sub ipsius alis gratiæ, solatio plenissimi & de auxilio ejus certissimi, sed & sub ipsius potenti sceptro, Christo in omnibus morigeri. Immota feramur fiducia in Christum ut Mediatorem nostrum, qui pro omnibus & singulis plenissime satisfecit, ipsique ut causæ meritoriaæ coelestis gratiæ, humanæ salutis & vitæ æternæ innitamur, & hoc nisu ad Deum in Christo placatum adscendamus & in sinu gratiæ & misericordiæ, singulis vere pœnitentibus in Christo promissis, suaviter recumbamus, ulterius non dubitantes, Deum & singulos nostrum velle salvos, & nobis in Christo esse propitium, nobisque ob Christi meritum vera fide a nobis apprehensum omnia peccata remissurum. Hæc est appropriativa receptio & individualis applicatio, qua quilibet vere fidelis Christum Joëlem suum Job. 19. Amatorem & Redemptorem suum cum omnibus suis meritis Gal. 2, 20. & in Christo Deum sibi propitium, utque benignissimum Patrem omnia sua peccata partim tegentem, partim donantem, partim delentem recipit, sibi applicat & in individuo appropriat. Hæc est viva Fides quæ versatur circa Christum non frigida cogitatione, non generali & superficiali assensu, sed ita ut agnoscat, intueatur, expetat, quærat, apprehendat, accipiat, complectatur, & credenti in individuo applicet in promissionibus Christum cum omnibus suis meritis, & in Christo Misericordiæ Dei remittentis peccata. *Chemnitius LL. Tb. P. 2 p. 251.* Ethoc modo peccator vere pœnitens, Christo unitus, imputative & apprehensive coram Deo est justus & sanctus, imò justitia ipsa 2. Cor. 5, 23. ac proinde de salute sua certissimus.

(b) *Fides etiam sanctificat hominem effective & inhesive.* Nam fide confugientibus ad Christum datur Spiritus S. qui [per fidem] inchoat obedientiam congruentem cum lege Dei, inquit b. Chytr. Catech. p. 46. Omnes enim actus fidei in sanctificanda anima sunt occupatissimi & efficacissimi, id quod fugitivo saltem intuitu eos perlustrantibus erit perspectissimum.

Primus fidei generalis actus citra dubium est cognitio Dei atque ejus voluntatis, nostræque naturæ corruptissimæ, ac propter peccata maledicto legis obnoxiaæ & subiectæ, quæ cognitio, si vera est, & efficax, timorem Dei, initium sapientiæ & sanctitatis, animæ ingenerat.

Alter actus est ad spectus & sensus iræ Divinæ, adversus peccata nostra justissime exardescantis, quo cor animusque miseri peccatoris frangitur, prosternitur & in cursu impietatis sufflaminatur & retrahitur, ut peccare cum proposito & delectatione desinat. Sic Ninivitæ ex conspectu & sensu iræ Divinæ, ipsis in-
te-

teritum præsentissimum parantis, dicuntur credidisse & se ad Deum in jejuniis & ciliciis convertisse Jonæ 3, 5.

Tertius actus fidei est cognitio & apprehensio consolationis Evangelicæ quæ nititur promissionibus de remissione peccatorum, quibus fracti jacentes, que peccatores iterum sublevantur, eriguntur, ac ad sperandum in Deum excitantur, unde novi motus pietatis, amoris erga Deum, spei, gaudii spiritualis & sanctitatis profluunt.

Quartus actus fidei est ardens desiderium, quo vere pœnitens, qui Evangelium non repudiat, sed Spiritui S. per illud efficaci morem gerit, intensa appetitione fertur in bonum agnatum, sibi que summe necessarium, nempe in remissionem peccatorum, Misericordiam ac favorem Dei, & hunc thesaurum gratiæ sibi a Deo dari seria oratione expetit. Sine hoc enim desiderio ac petitione agniti in Evangelio boni reconciliatio cum Deo obtineri nequit: Nam Deus vult sua dona dare petentibus & pulsantibus Matt. 7, 7. Desiderium hoc Divini favoris studium etiam veræ sanctitatis magis magisque accendat necesse est, ne per actus impietatis se credens Divino favore indignum reddat. *Omnis habens spem hanc in eo, sanctificat seipsum, sicut ille sanctus est. 1. Joh. 3, 4.* Et qui serio Divinum favorem expetit, is quoque precibus & suspiriis frequentibus a Deo petere necesse habet, ut per Spiritum S. sanctificetur & ad Divinum favorem habilis reddatur. Quæ suspiria Deus libentissime exaudit juxta illud Jer. 31, 18. *Converte me, & convertar.*

Quintus actus fidei est assensus specialis, quo homo fidelis Doctrinæ de universali Christi merito & satisfactione pro omnibus hominibus præstita ita assentitur, ut simul ad se in singulari descendat, & credat Christum esse etiam suum Redemptorem, & satisfecisse passione & morte sua pro suis quoque peccatis omnibus, maximis, minimis, ad exemplum Pauli, qui se in individuo a Christo redemptum credebatur: *Vitam, inquam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me & tradidit semet ipsum pro me Gal. 2, 20.* Qui hoc serio cum Paulo credit, is quoque cum eodem in Christo sancte vivere summo studio & conatu laborabit.

Sextus actus fidei est assensus, quo credit fidelis sibi in individuo reparatam esse gratiam Dei, sibi que in particulari acquisitam esse remissionem peccatorum, & liberationem a potestate, tyrannide & Dominio Diaboli. Qui autem hanc suam liberationem & restitutionem in pristinam gratiam salutariter credit, is juxta effatum Zachariæ Presbyteri Luc. 1, 74. *Liberatus ex manu inimicorum, impavide serviet Deo in sanctitate & justitia coram ipso omnes dies vite sue.*

Septimus actus est specialis fiducia in Christum, quæ non est nuda & otiosa

cognitio Christi, sed qua credentis animus quasi extra se in Christum fertur, in ipso ut Mediatore & iræ Divinæ placatore recumbit, ipsius meritum sancta concupiscentia ut bonum suum, & causam aliorum bonorum obtinendorum, nempe gratiæ Dei, remissionis peccatorum & vitæ æternæ, apprehendit, & ut ἀντίλυτρον Deo Patri offert, cum precibus & supplicationibus, ut Deus meritum hoc pro se acceptare, intuitu ejus se in gratiam recipere & omnem culpam remittere velit. Qui in hoc fiduciæ exercitio efficaciter est occupatus, is certe ab omnibus actibus præterite peccaminosis abstinebit, quia eos Deo novit esse exosos, ne gratiam Dei, in qua sibi applicanda versatur, & meritum Christi a se rejiciat & protelet. *Qui enim Christi est, carnem crucifigit cum affectibus & concupiscentiis Gal. 5, 24.*

*Octavus actus fidei est firma & fiducialis persuasio, qua credens certo statuit preces & supplicationes suas a Deo esse exauditas, sibi que Christi justitiam esse imputatam & remissionem peccatorum propter Christum actu esse donatam, se in gratiam esse receptum, filium Dei esse renunciatum, & factum æternæ salutis hæredem. Hæc persuasio fiducialis nititur immota Christi promissione Joh. 16, 23. *Quæcunque petieritis a Patre in nomine meo, ea dabit vobis. Et est uberrimus fons infucatae sanctitatis juxta illud 2. Cor. 6, 18. c. 7, 1. Ego ero vobis in Patrem, & vos mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens: Has ergo habentes promissiones, dilecti, mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & Spiritûs perficientes Sanctificationem in timore Domini.**

Nonus actus fidei est requies in Deo placato & favente, quam nonnulli Theologi vocant Recumbentiam in Deo, qua homo Deo reconciliatus se totum quam familiariter rejicit in Deum, clamans Abba, Pater, ejusque cor lætum est & tranquillum, ut sine ulla trepidatione & motu, in maximis etiam calamitatibus, periculis, tentationibus & perturbationibus, Christo, ut solidæ petræ constanter innitatur. Fide enim justificatus habet pacem apud Deum, & gaudium Spiritûs S. & simul maxime sollicitus est, ne voluntaria malitia pacem cum Deo frangat, ne Spiritum S. contristet & gaudium ejus amittat, neve Christi gratiam & justitiam malitiosa impietate & injustitia excutiat. Nulla enim est condemnatio in his qui in Christo Jesu, non secundum carnem ambulantes sed secundum spiritum Rom. 8, 1.

Decimus actus fidei est abnegatio sui ipsius, qua homo vere fidelis sapientiam carnalem in rebus fidei suppressit, justitiæ propriæ coram Deo quotidie renunciat, voluntatem legi Divinæ contrariam sedulo refrenat, affectus inordinatos coercet, nihilque vel honoris vel favoris, vel delectationis, vel divitiarum cum amissione bonæ conscientiæ, meriti Christi & gratiæ Divinæ expetit,

tit, & tandem vitam pro Christo fundere paratus est Matth. 16, 24. Et his actibus anima hominis vere sanctificatur.

Undecimus actus fidei est pugna spiritualis, qua homo fidelis contra fraudes Diaboli, mundi pessima exempla, & carnis propriae irritationes, tanquam peccati causas indefinenter pugnat, iisque fortiter resistit 2. Tim. 4, 7. Et hic actus verae sanctitatis pulcherrimum est exercitium.

Duodecimus fidei actus est Victoria de mundo, qua vere fidelis nec amore, nec timore mundi a recto abstrahitur, seculo huic non configuratur, mundo utitur, sed non abutitur 1. Cor. 7, 31, 1. Joh. 5, 4. Quid hoc actu aliud agitur, quam vera sanctitas defenditur, adseritur & stabilitur?

Quoniam igitur omnes hi fidei actus, & si qui sunt alii, ad sanctitatem tendunt & cooperantur, ut nempe homo, qui est in Christo, sit nova creatura 2. Cor. 5, 17. nec porro ambulet secundum carnem, sed secundum Spiritum Rom. 8, 1. ideo certissimum est, fide hominem regnitum etiam sanctificari effective & habitualiter.

Satis evidenter proinde ostensum esse arbitror *fidem in Christum tam apprehensivam, quam effective Christianos sanctificare.* Quem duplicem sanctificationis modum nervosse descripsit beatissimus Arndius L. 1. Christ. c. 5. *Wahrlich Christus durch den Glauben in dir wohnet und lebet Eph. 3/ 17. So ist ja seine Einwohnung nicht ein todtes Werk / sondern ein lebendiges Werk / daher kömmt die Erneuerung aus Christo durch den Glauben. Denn der Glaube thut in dir zwey Dinge. Erstlich versetzet er dich in Christum / und machet ihn dir zu eigen. Zum andern erneuert er dich in Christo / daß du in ihm grünest / blühest und lebest. Denn was soll das Pflanz- reiselein im Stamm / wenns nicht wil grünen und Frucht bringen. Durch Gottes Wort und dem Heiligen Geist wird der Glaube im Menschen gesäet als ein Same Gottes / in welchem alle Göttliche Tugenden begriffen seyn / und hervor wachsen zu einem schönen und neuen Bilde Gottes / zu einem schönen Baum / darauf die Früchte seyn Liebe / Gedult / Demuth / Sanftmuth / Friede / Keuschheit / Gerechtigkeit und der neue Mensch / und das ganze Reich Gottes. Denn der wahre seligmachende Glaube erneuert den ganzen Menschen / reiniget das Herz / vereiniget mit Gott / macht das Herz frey von irdischen Dingen / hungert und durstet nach der Gerechtigkeit / wircket die Liebe / giebt Friede / Freude / Gedult / Trost in allem Creutz / überwindet die Welt / macht Gottes Kinder und Erben aller himmlischen ewigen Güter.* B. M. Bernh. Kracht, Herfordensium olim Senior, Amicus meus in Westphalia singularis, in explicatione Catecheseos Lutheri p. 191. ad quaest. *Wie heiligt uns der Heilige Geist im Glauben? ita respondet. Auf zweyerley*

ley Weise/wenn er uns (1) bringt zum Trost des Glaubens/ durch die Zurechnung und Zueignung der Heiligkeit Christi/ und aller seiner Wohlthaten/ daß wir wissen was uns von Gott gegeben ist 1. Cor. 2. v. 12/ 13. [2] Wenn er uns bringet zum Gehorsam des Glaubens/ durch seine Erneuerung und Heiligung an Leib und Seel/ durch seinen Trieb/ Erinnerung und Bewegung zum Guten und Verhinderung im Bösen Röm. 8. v. 14. Röm. 15. v. 16/ 18/ 19. 1. Thes. 3. v. 2/ 3/ 4. Tantum etiam de secundo membro. Accedimus ad tertium.

3. *Fides, per quam fit sanctificatio, sit recta & viva.* Jacobus c. 2, 18, 20. fidem impiorum vocat mortuam, propterea quod sit cognitio boni, & bonorum omnium Autoris, sine ulla in eum motione voluntatis, sine voluntatis affectu & vita spirituali, ad quam excitandam tamen per se directa esse debet Christi cognitio & fides, & a qua fides habet, quod viva dicatur, quodque per eam vivimus & Christus in nobis Gal. 2, 20. inquit b. Joh. Mus. De Convers. Disp. 3. §. 148. *Fides viva igitur est, per quam spiritualiter vivimus Gal. 2, 20. per quam Christus, qui est vita nostra per fidem nobis applicata, habitat in cordibus nostris Eph. 3, 17. per quam homo conversus participat justitiam coram Deo valentem Rom. 1, 17. per quam voluntas sanctificatur & ita fertur in Deum, ut vivo ardore mala, ipsi displicentia, aversetur, & bona constanti amore prosequatur, Deoque in omnibus placere studeat, 1. Tim. 1. 19, Heb. 11. 6. Breviter, Fides viva est, que justificat & per charitatem efficax est.* Polanus Sylloges P. 2. p. m. 658.

Fidei *ἐνεργεια* duplex est, inquit B. D. Höpferus LL. Th. L. 33. Aphorismo 29. una, qua in Christum Mediatorem, Verbo Evangelii monstratum, recumbit, ejusque beneficia apprehendit, altera quæ per charitatem efficax est. Ratione utriusque effectus fides est viva. A priori & formaliter viva, quia justitiam, & ita veram vitam, nempe Christum apprehendit 1. Joh. 5, 12. Viva per modum signi, quatenus per charitatem (non efficitur, sed,) noscitur viva Joh. 13, 35.

κρίσις ergo & indicia Fidei Viæ partim essentialia, partim consecutiva sunt hæc:

Fides Viva [1] necessario in adultis præsupponit detestationem & odium efficax peccati, & dolorem de offensa Dei Marc. 1, 15. Cujus ira quam horribilis sit adversus peccata, ostendit acerbissima Christi passio & mors, quam fides in justificatione apprehendit. (Höpfn. De Justif. Disp. 1. p. 35)

Fides Viva [2] excludit omnes trepidationes & dubitationes de Divinis promissionibus. Quod pulchre docet Cypr. de Mortalitate serm. 4. p. m. 143. *premium vite] & gaudium salutis æternæ & perpetua lætitia & possessio paradisi nuper amissa, mundo [per mortem] transeunte jam veniunt, jam terrenis cœlestia, & magna parvis & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est?*

cu

Quis inter hæc trepidus & mæstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo regnare incipere. Scriptum enim est justum fide vivere. Si justus es & fide vivis, si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris amplecteris, & quod Zabulo careas, gratularis?

Fides Viva (3) est quâ optima quæque de Divina bonitate nobis promittimus, nihil morantes Diaboli, peccati, mortis & inferni insultus. Hæc fiducia certa est veræ ac victricis fidei nota 1. Cor. 15, 53, 56, 57. Contra ubi trepidatio est, ubi fuga Dei est, ubi desperatio est, ibi non vera & viva fides, sed Dæmonum fides est. Nam Dæmones contremiscunt ait Jacobus. Omnes etiam impii omnibus tremunt artibus, de deo ubi cogitant, exemplo Caini, Achitophelis & Judæ. Contra omnibus fidelibus dictum est a Paulo Rom, 8, 15. Non accepistis Spiritum servitutis rursus ad metum. Vide Brochman. Comm. in Jac. p. 60. Hæc fiducia in lucta cum peccato & ira Dei singulis credentibus promissionem gratiæ ita applicat, ut in generalem promissionem quisque credentium se quoque includat, & ita se erigat, ut sine hæsitacione statuens, promissionem Evangelii sibi quoque firmam esse, inde consolationem & vitam in tentationibus concipiat, ait D. Mart. Chemn. LL Th. P. 2. p. 262.

Fides Viva (4) affert & conservat pacem conscientiæ Rom. 5, 1. Talem nempe fides viva conscientiæ affert pacem cum deo, ut non trepidet ad accusationem legis, non terreatur indignitate propria, vel ignitis telis Diaboli, nec fugiat Deum, sed quia homo fidelis certissimam habet fiduciam de Dei charitate erga se, libere accedit ad Deum & clamat, Abba Pater. Scribit rursus D. Mart. Chemn. LL, Th. P. 2. p. 265. Fides hæc cum asserat pacem conscientiæ, non potest esse simul cum proposito retinente delictum, quod contaminat conscientiam. Idem p. 3. p. 6.

Fides Viva (5) gignit timorem erga Deum filialem. Quia enim fides in justificatione accipit a deo immensa beneficia, nempe remissionem peccatorum & imputationem justitiæ, & liberationem ab ira Dei, legis maledictione & potestate Satanz, pacem & jus hæreditatis cœlestis, hisque divitiis gratiæ cœlestis Patris fruitur, ideo movet justificatos, ut ex timore filiali, qui Patri debetur Malach. 1, 6. caveant sollicitè, ne illum offendant, & gratia ejus excidant, sed peccatum ejusque occasionem fugiant Ps. 130, 4. Heb. 12, 1. D. Hopfn. Diss. de Justif p. 35, 36.

Fides Viva (6) per charitatem est efficax Gal. 5, 6. Instigat enim hominem justificatum, ut Deum, Patrem benignissimum, Christum, Redemptorem Clementissimum, & Spiritum S. Consolatorem efficacissimum vicissim sincere diligat, & ad

ad dei imitationem etiam proximum infucata charitate complectatur, omniaque charitatis fraternæ officia ipsi præstet. 1. Tim. 1, 5. 1. Cor. 13, 4, 5, 6. Chrysofost. Comm. in Epist. ad Gal. p. m. 936. de connexionione fidei & charitatis ita differit. *Quid est fides que per dilectionem operatur? Hic Galatis ingentem infligit plagam, significans quod Charitas erga Christum in eis non egerit radices. Non enim credere solum est quod queritur, verum etiam in charitate perseverandum est. Ac si dixisset: Si dilexissetis Christum, sicut oportuit, nequaquam confugissetis ad servitutem, nequaquam eum, qui vos redemit, deseruissetis, nequaquam contumelia affecissetis eum, qui vos in libertatem asseruit. Notat & illos, qui Galatis insidiabantur, significans, quod si illi charitatem habuissent erga Galatas, nequaquam illa facere sustinissent.* August. L. de Fide & operibus c. 16. inquit: *Fides, que sine charitate est, Demoniorum, non Christianorum est.* Bernhardus Serm. 2. de Resur. p. m. 37. *Vita fidei charitas est, quia per illam operatur, unde & refrigescente charitate fides moritur.* Et in Cantic. *Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum, fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio.*

Fides Viva (7) Operosa est per filialem obedientiam 1. Pet. 1, 14, 15. Quia enim fide in Christum adoptamur in filios Dei Joh. 1, 12. Ideo etiam fides hæc incentivum præbet ad præstandam Deo filialem obedientiam. Et per obedientiam *Fides Viva* fit fons uberrimus, ex quo omnes virtutes Christianæ atque bona opera omnia profluunt 2. Pet. 1, 5, *Vos autem omne studium adhibete & subministrare in fide vestra virtutem.* Clemens Alex. L. 2. Strom. p. m. 369. ait. *Μεγίστη ἀρετῶν κηθήνη ἡ πίστις.* Per fidem in cordibus fidelium habitat Spiritus S. qui eadem novat, movet & agitat ad bona opera Rom. 8, 14.

Fides Viva (8) mortificat carnem ejusque negotia Rom. 8, 13. delendo & expurgando ex vita & actionibus Converterum omnem impuritatem, proterviam, idololatriam, inimicitiam, iram, invidiam, superbiam, ebrietatem & similia Gal. 5, 20, 21.

Fides Viva (9) ad veritatis confessionem est intrepida, prompta atque parata Rom. 10, 9, 10. 2. Cor. 4, 13. 1. P. 3, 15.

Fides Viva [10] ad preces & alias Devotionis cultusque divini species regenitos nunquam non excitat: Efficitque ut Deum, qui Spiritus est, in Spiritu & veritate adorent Joh. 4, 24. Quia sc. regeniti acceperunt spiritum adoptionis, clamantem Abba, Pater Gal. 4, 6. ideo exardescunt etiam ad preces frequenter & indefinenter pro se aliisque fundendas Eph. 6, 18.

Fidem Vivam sic delineatam graphice depingit Doct. Anglicanus Thom. Watson
Tom

Tom I. Concionu p. 102. Der Glaube ist eine Herzerquickende Gnade/die Herzkider
der Seelen: Der Gerechte wird seines Glaubens leben/ Habac. 2. v. 4. Wann
wir anfangen zu glauben/ so fangen wir an zu leben. Der Glaube impfet die
Seele in Christum wie einen Zweig in den Stamm/Saft und Feuchtigkeit aus
dem gebenedeyten Weinstock zu ziehen. Der Glaube ist/der uns meist erqui-
cket/ unsere Gnaden-Gaben und Pflichten lebendig zumachen.

1. Der Glaube macht unsere Gnaden-Gaben lebendig. Gottes Geist gieffet
den ersten Saamen und Principia oder Anfang der Gnaden in unsere Seelen/ a-
ber der Glaube ist der Brunnen und Ursprung derselben Thätlichkeit und Wir-
kungen. Der Glaube ist wie das Gewicht an einem Becker/welches die Räs-
der gehend macht: Es ist keine Gnaden-Gabe/die sich bewegt/ es sey dann daß
der Glaube solches verrichte. Wie wirket die Liebe? durch den Glauben.
Die Betrachtung der Liebe Christi erwecket und ziehet unsere Liebe zu ihm hin-
aufwärts. Wie wirket die Demuth? durch den Glauben. Der Glaube er-
niedriget die Seele. Der Glaube hat ein doppeltes Absehen/ er siehet auf die
Sünde/ und das Anschauen der Sünde erniedriget. Wie wirket die Gedult?
durch den Glauben. Wisset daß euer Glaube/ so er rechtschaffen ist/ Gedult wir-
cket/ Jac. 1/3. So ich glaube/ daß Gott ein weiser Gott ist/ der da weiß was
mir zum besten dienet/ und der mich nicht allein aus den Trübsalen/ sondern auch
selbst durch Trübsal kan erlösen. Das wirket Gedult. So ist der Glaube
nicht allein viva, lebendig/ sondern auch vivifica, lebendigmachend/ als welcher ei-
ne geistliche Kraft und Wirkungen in allen Gnaden-Gaben herfür bringt.

2. Der Glaube macht unsere Pflichten lebendig. Was vermochte das Blut
der Ochsen und Böcke die Sünde wegnehmen? Heb. 10. v. 4. Ihr Glaube an
den Messiam war es/ welcher ihre todte Thiere zu lebendigen Opfern machte. Was
seynd die Einsekungen anders als eine bloße Vorstellung/ ohne das Leben des Glau-
bens? Darum lesen wir in der heiligen Schrift vom Gebet des Glaubens/ Jac.
1/ 5. vom Hören des Glaubens/ Heb. 4. v. 2. vom Gehorsam des Glaubens/
Rom. 16. v. 26. Todte Dinge haben keine Anmuthigkeit noch Schönheit.
Der Glaube macht beydes schön und lebendig.

2. Der Glaube ist eine Herzk reinigende Gnade: Die ihre Herzen gereiniget
durch den Glauben. Act. 15. v. 9. Der Glaube hat eine reine und himmlische
Natur. Der Glaube ist in der Seelen/ wie das Licht in der Luft/welches rei-
niget; wie das Feuer in dem Metall welches säubert; wie die Arzenei im Leibe/
welche vertreibet die Kranckheit. Der Glaube vertreibet unsern Hochmuth/
Eigenliebe/ Heuchelei/ und heiliget unsere Herzen. Dasjenige welches zuvor des
Teufels

Teuffels Wohnung war/ ist nun durch den Glauben Gottes Cabinet worden.
 1. Tim. 3. v. 9. die das Geheimniß des Glaubens in reinem Gewissen haben.
 Der Glaube ist eine himmlische Pflanze so in keiner unreinen Erde wachsen will.
 Der Glaube rechtfertigt nicht allein/ sondern heiligt auch: wie der Glaube frucht-
 bar ist im Himmel durch die Rechtfertigung/ so ist er auch arbeitsam im Herzen
 durch die Heiligmachung: Zuvor war die Seele unter der Macht und Herrschaft
 der Sünden/ aber so der Glaube im Herzen gewircket ist/ gehet eine heilige Kraft
 von Christo aus/ die Sünde kraftlos und schwach zu machen. Die Gewässer
 nehmen ab. Das Weib so Christi Kleid nur anrührte/ fühlete daß eine Kraft
 von ihm ausgieng/ Marc. 5. v. 27. Das Anrühren des Glaubens hat eine ge-
 sundmachende Kraft: Der Glaube treibt den Teuffel aus der Bestung unsers
 Herzens/ ob er schon die Nussenwercke noch inne hat. Der Satan hat den
 Glaubigen zu seinem Gegenpart/ der ihm stets im Duell und Zweykampf entgegen
 gehet. Und was den Glauben betrifft/ wird er nicht aufhören/ bis er als ein obsie-
 gender Prinz fürstlich überwunden hat. Diß ist der Glaube der Außerwehlten/
 Tit. 1. v. 1. Du sprichst du glaubest/ aber hat dein Glaube den Berg der Sün-
 den versetzt und ins Meer geworffen? Was? ein Glaubiger und ein Truncken-
 bold! ein Glaubiger und ein Abtrünniger; ein Glaubiger und ein Flucher? was
 Schande! entweder laß fahren deine Sünde/ oder laß fahren deine Bekänntnis:
 Der Glaube und die Liebe zur Sünde können eben so wenig als Licht und Fin-
 sternis beysammen stehen.

Ex Pontificiis Quilielmus Beraldus, Episcopus Lugdunensis, in summario
 Virtutum p. 3.

Fidem Vivam ex effectibus eleganter describit, inquit.

1. Fides generat (1) victoriam 1. Job. 5. (2) justitiam Gen. 15. [3] gloriam Apoc. 2.
2. Fides [1] à peccato purgat Act. 15 (2) Animam salvat Luc. 7. (3) confortat Heb. 11.
3. Fides (1) mentem illuminat Luc. 18. (2) tentationes mitigat Heb. 11. [3] Filios Dei parit Job. 1.
4. Fides [1] terrena contemnit Heb. 11. (2) vitam tribuit Rom. 1. (3) beatum reddit Job. 20.

Habetis, Viri Fratres, in Christo Dilectissimi, Animarum Pastores per-Reverendi,
 habetis inquam *Idem Vivæ Fidei*, cujus ulteriorem enucleationem per singulas
 theses proxima Syno lo, propitio Numine, aggrediemini, & ut confido, in luce
 Spiritus perficietis. Quilibet Vestrum si de suo themate absque tædiosa evagatione
 per quadrantem horæ verba fecerit, suo officio sati fecisse putabitur.

Colophonis loco adjicio plenam Fidei Vivæ Definitionem, quæ hæc erit.
 Fi:

Fides Viva est habitus a Spiritu S. in hominibus verè pœnitentibus per verò
bum accensus, quo notitia certa & salutaris Dei veri & promissionum Di-
vinarum de Christo Mediatore in cordibus non reluctantibus generatur, & sine
gulâ gratia obfirmatur, quo intellectus ad salutarem assensum illi minatur, ita
ut quisque pro se firma fiducia Christum cum omnibus ejus beneficiis appre-
hendat & ad justitiam sibi applicet, & quo voluntas odio peccati, vera pieta-
te, charitate atque probitate sanctificatur, ut Christo uniti fructus eo dignos
proferamus, & in imaginem ejus transformemur, in laudem Divinæ potentiae
atque misericordiae & ad gratuitam vitæ æternæ consecutionem.

SERIES QUÆSTIONUM.

Ad

Qv. 1. Quid sit Fides viva? Resp. Superintendens

Qv. 2. Quas Fides viva habeat partes? Resp. Dn. M. Georg. Christ.
Eilmær / P. Marianus.

Qv. 3. An Fides implicita Pontificiorum vere tueatur nomen fidei?
Resp. Dn. Theod. Günth. Fischer / Diac. Blasianus.

Qv. 4. Quomodo fiat individualis fidei applicatio & appropriativa
receptio, non mere theoretica sed practica? Resp. Dn. Andreas Euer/
P. Ammaranus.

Qv. 5. Quomodo fidei fiducia carnalis & spiritualis differant? Resp. Dn.
Willhelm Bollandt / P. Horsmariensis.

Qv. 6. Quomodo desiderium gratiæ cum fide cohereat? Resp. Dn.
Benjamin Eisenhardt / P. Felchtensis.

Qv. 7. An amor juxta Coccejanos recte dicatur forma fidei intrinseca,
aut juxta Pontificios forma assistens? Resp. Dn. Sebast. Sygenspan / P. Key-
sershagensis & Reiserensis

Qv. 8. An fides viva pro objecto præter promissiones etiam habeat com-
minationes & obligationes? Resp. D. Ernst. Friedrich Dinschbanck / Past. Dör-
nensis & Hollenbacensis.

Qv. 9. Quænam juxta Jac. 2, 17, 26. sit fides mortua? Resp. Dn. Adam
Erabant / P. Eigenriedensis.

Qv. 10. Quomodo fides per charitatem operosa dicatur valere in Christo
Gal. 5, 6? Resp. Dn. M. Aug. Schreiber? P. Lengfeldensis.

Qv. 11

Qv. 11. Quomodo fides & communio cum deo juxta 1. Joh. 1, 3, 6, 7. sint connexa? Resp. Dn. M. Benj. Scholl, P. Grabinsis.

Qv. 12. Quomodo fides influat in justificationem?

Qvæstio hæc obtigerat Dn. Georg. Andreæ Rothen / quem Mors beata ante Synodum ex fide ad Videre transtulit.

Qv. 13. Quomodo juxta Joh. 1. 12. & Gal. 3, 26. fides operetur *υποθεσια* coelestem? Resp. Dn. M. Christian Apel / P. Georgio-Martinianus.

Qv. 14. An abnegatio sui ipsius sit necessarius fidei actus, & in quo consistat? Resp. Dn. Ernst. Friedrich Eisenhardt / P. Görmeranus.

Qv. 15. Quomodo ex fide fluat pax spiritualis? Resp. Dn. M. Christian Schreiber / Diac. Marianus.

Qv. 16. Quomodo Fides vincat mundum? Resp. Dn. Gottfried Fürster / P. Bollstadiensis.

Qv. 17. Quomodo credere & se totum ubique tradere & permittere Deo cohæreant? Resp. Dn. Christoph. John / P. Höngedanus.

Qv. 18. An Fides viva possit esse sine bonis operibus? Resp. Dn. Andreas Schmidt / P. Dachriedensis.

Qv. 19. Quomodo per fidem fiat obsignatio Filiorum Dei Eph. 1, 13. c. 4, 30? Resp. Dn. Joh. Georg. Bocherodt / P. Sollst. & Heigerodensis.

Qv. 20. Quomodo explicanda sit fides Christo redeunte vix inveniendâ Luc. 18, 8? Resp. Dn. M. Justus Martius, P. Nicolao-Petrinus.

SERIES DIERUM POENITENTIALIUM

Anni 1698.

Primus d. 5. Aprilis. quo Textus Passionales explic.

Secundus d. 8. Julii. Textus

{ antemer. Zachariæ c. 4.
{ pomerid. Zach. c. 5. v. 1-4.

Tertius d. 6. Sept. Textus

{ antem. Zach. c. 5. v. 5-11.
{ pom. Zach. c. 6. v. 1-8.

Quartus d. 9. Dec. Textus

{ antem. Zach. c. 6. v. 9-15.
{ pom. Zach. c. 7.

Umg.-Stk

VI-12.

ULB Halle

3

002 724 804




54

Vb 17

7





20.

I. N. J.
**DELINEATIO
FIDEI VIVAE**

QVAM
IN SYNODO DIE 2. AUG. ANNI CURRENTIS M. DC. XCIIX,
BONO CUM DEO CELEBRANDA
PL. REV. MINISTERII MOLHUSINI SYMMYSTIS,
**IN FACIE DEI
ET PATRONORUM OCVLIS**
JUXTA SCRIPTURÆ S. FILUM
DUCTUMQVE SPIRITUS SANCTI
**SECUNDUM SERIEM QVÆSTIONUM SORTE
DISTRIBUTARUM ENUCLEANDAM.**
PROPOSUIT
D. JOH. ADOLPHUS FROHNIUS;
PAST. PRIM. SUPERINT. CONSIST. ASS. ET
SCHOLAR. INSP.

616

MOLHUSÆ,
Typis Tobiaë Davidis Brückneri,

May 18

